

dimittere. Ergo inseparabilitas uxoris non est de lege naturæ.

2. Præterea. Sacramenta non sunt de lege naturæ. Sed inseparabilitas matrimonii pertinet ad bonum sacramenti. Ergo non est de lege naturæ.

3. Præterea. Coniunctio viri & feminae in matrimonio ordinatur principaliter ad prolis generationem, & educationem, & instructionem, ut dictum est. Sed hæc omnia aliquo certo tempore consummantur. Ergo post illud tempus licet uxorem dimittere sine aliquo præiudicio legis naturæ.

4. Præterea. Ex matrimonio quæritur principaliter bonum prolis. Sed inseparabilitas matrimonii est contra bonum prolis: quia, ut tradunt Philosophi, aliquis vir non potest ex aliqua femina prolem accipere qui tamen ex alia concipere posset, & quæ etiam ex alio viro imprægnaretur. Ergo inseparabilitas matrimonii magis est contra legem naturæ quam de lege naturæ.

Sed contra. Illud præcipue est de lege naturæ quod natura bene instituta accepit in suo principio. Sed inseparabilitas matrimonii est huiusmodi, ut patet Matth. xix. Ergo est de lege naturæ.

Præterea. De lege naturæ est quod homo Deo non contrarietur. Sed homo quodammodo Deo contrarius esset, si separaret quos Deus coniunxit. Cum ergo ex hoc habeatur inseparabilitas matrimonii, Matth. xix. videtur quod sit de lege naturæ.

S O L U T I O.

Respondeo dicendum, quod matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis non solum per aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Unde de lege naturæ est quod parentes filiis thesaurizent, & filii parentum hæredes sint: & ideo cum proles sit commune bonum viri, & uxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indivisam secundum legis naturæ dictamen; & sic inseparabilitas matrimonii est de lege naturæ.

Ad primum ergo dicendum, quod sola lex Christi ad perfectum humanum genus adduxit, reducens in statum novitatis naturæ: unde & in lege Moysi, & in legibus humanis non potuit totum auferri quod contra legem naturæ erat: hoc enim soli legi spiritus, & vitæ reservatum est.

Ad secundum dicendum, quod inseparabilitas comperit matrimonio secundum quod est signum perpetuæ conjunctionis Christi & Ecclesie, & secundum quod est in officio naturæ ad bonum prolis ordinatum, ut dictum est. Sed quia separatio matrimonii magis directe repugnat significationi quam prolis bono, cui ex consequenti repugnat, ut dictum est; inseparabilitas matrimonii magis in bono sacramenti intelligitur quam in bono prolis, quamvis in utroque intelligi possit: & secundum quod pertinet ad bonum prolis erit de lege naturæ, non autem secundum quod pertinet ad bonum sacramenti.

Ad tertium patet solutio ex dictis.

Ad quartum dicendum, quod matrimonium principaliter ordinatur ad bonum commune ratione principalis finis, qui est bonum prolis, quamvis etiam ratione finis secundarii ordinetur ad bonum matrimonii contrahentis, prout per se est in remedium concupiscentiæ. Et ideo in legibus matrimonii magis attenditur quid omnibus expediat quam quid uni competere possit. Quamvis ergo matrimonii inseparabili-

(1) Vulgata: *Cum odio habueris, dimitte.*

tas impediatur bonum prolis in aliquo homine, tamen est conveniens ad bonum prolis simpliciter; & propter hoc ratio non sequitur.

ARTICULUS II.

Utrum licitum esse possit per dispensationem uxorem dimittere.

1. 2. quæst. cv. art. 4. ad 8. & III. cont. Gent. cap. cxxi. in fine.

1. **A**D secundum sic proceditur. Videtur quod uxorem dimittere licitum per dispensationem esse non potuerit. Illud enim quod est in matrimonio contra bonum prolis, est contra prima præcepta legis naturæ, quæ indispensabilia sunt. Sed dimissio uxoris est huiusmodi, ut ex dictis patet. Ergo &c.

2. Præterea. Concubina differt præcipue ab uxore in hoc quod non est inseparabiliter iuncta. Sed habere concubinas fuit indispensabile. Ergo & dimittere uxorem.

3. Præterea. Homines sunt modo ita receptibiles dispensationis, sicut olim fuerunt. Sed modo non potest dispensari cum aliquo quod uxorem dimittat. Ergo nec olim.

Sed contra. Agar cognita est ab Abraham uxorio affectu quasi uxor, ut dictum est. Sed ipse præcepto divino eam eiecit, & non peccavit. Ergo potuit per dispensationem fieri licitum quod homo uxorem dimitteret.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod sub lege Moysi fuerit licitum uxorem dimittere. Unus enim modus consentiendi est non prohibere, cum prohibere possis. Consentire autem illicito est illicitum. Cum ergo Moyses non prohiberit uxoris repudium, nec peccaverit: quia lex sancta est, ut dicitur Rom. vii. videtur quod repudium fuerit aliquando licitum.

2. Præterea. Prophetæ locuti sunt Spiritu Sancto inspirati, ut patet II. Petr. i. Sed Malach. ii. 16. dicitur: (1) *Si odio habuerit eam, dimitte eam.* Ergo cum illud quod Spiritus Sanctus inspirat, non sit illicitum, videtur quod repudium uxoris non semper fuerit illicitum.

3. Præterea. Chrysostomus, Auditor oper. imperf. in Math. hom. cxxi. dicit, quod sicut Apostoli permiserunt secundas nuptias, ita Moyses permisit libellum repudii. Sed secundæ nuptiæ non sunt peccatum. Ergo nec repudium uxoris sub lege Moysi.

4. Sed contra est quod Dominus dicit, quod libellus repudii datus est à Moysè Judæis propter duritiam cordis eorum. Sed duritia cordis eorum non excusabat eos à peccato. Ergo neque lex de libello repudii.

5. Præterea. Chrysostomus dicit super Matth. ubi sup. quod Moyses dando libellum repudii non iustitiam Dei monstravit, ut quasi per legem agentibus peccatum non videatur esse peccatum.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod liceret uxori repudiare alium virum habere. Quia in repudio magis erat iniquitas viri repudiantis quam uxoris repudiate. Sed

VIR

vir poterat aliam sine peccato ducere in uxorem. Ergo uxor sine peccato alium virum ducere poterat.

2. Præterea. Augustinus, Lib. III. de doctrin. christ. cap. xii. & Lib. XXII. contra Faustum cap. xlvi. dicit de duabus uxoribus, quod quando mos erat, peccatum non erat. Sed tempore legis erat talis consuetudo quod repudiata alium virum ducere, ut patet Deut. xxiv. 2. *Cumque egressa virum alterum duxerit, &c.* Ergo uxor non peccabat alteri se jungendo.

3. Præterea. Dominus Matth. v. iustitiam novi testamenti ostendit superabundantem esse respectu iustitiæ veteris testamenti. Hoc autem dicit ad iustitiam novi testamenti per superabundantiam pertinere quod uxor repudiata non ducit alterum virum. Ergo in veteri lege licebat.

4. Sed contra est quod dicitur Matth. xix. 9. *Qui dimissam duxerit, mæchatur.* Sed mæchia numquam fuit in veteri testamento licita. Ergo nec uxori repudiata licuit alium virum habere.

5. Præterea. Deuter. xxiv. dicitur, quod mulier repudiata quæ alium virum duceret, polluta erat, & abominabilis facta coram Domino. Ergo peccabat alium virum ducendo.

QUÆSTIUNCULA IV.

1. Ulterius. Videtur quod licebat viro repudiata à se accipere. Licet enim corrigere quod male factum est. Sed male factum erat quod vir uxorem repudiabat. Ergo licebat hoc corrigere, reducendo uxorem à se.

2. Præterea. Semper licuit peccanti indulgere, cum sit morale præceptum, quod in omni lege manet. Sed vir accipiendo repudiata, ei peccanti indulgebat. Ergo hoc licitum erat.

3. Præterea. Deuter. xxiv. ponitur causa quare non possit accipi iterum, quia polluta est. Sed repudiata non pollutur nisi alterum virum ducendo. Ergo saltem antequam alium virum duceret, licebat eam accipere.

Sed contra est quod dicitur Deut. xxiv. 4. *Non poterit prior maritus accipere eam.*

S O L U T I O I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod dispensatio in præceptis, præcipue quæ sunt aliquo modo legis naturæ, est sicut mutatio cursus rei naturalis: qui quidem mutari dupliciter potest. Uno modo ex aliqua causa naturali, per quam alia causa naturalis impeditur à cursu suo, sicut est in omnibus quæ in minori parte casualiter accidunt in natura; sed per hunc modum non variatur cursus rerum naturalium quæ sunt semper, sed quæ sunt frequenter. Alio modo per causam penitus supernaturalem, sicut in miraculis accidit; & hoc modo potest mutari cursus naturalis non solum qui est ordinatus ut sit frequenter, sed qui est ordinatus etiam ut sit semper, ut patet in statione solis tempore Josue, & reditu ejusdem tempore Ezechie, & de eclipsi miraculosa tempore passionis Christi. Hæc autem ratio dispensationis in præceptis legis naturæ quandoque est in causis inferioribus; & sic dispensatio cadere potest super secunda præcepta legis naturæ, non autem super prima: quia illa sunt quasi semper existentia, ut dictum est de pluralitate uxorum, & de huiusmodi. Aliquando autem est tantum in causis superioribus:

In IV. Sent. Tom. V.

(2) Al. de dispensato in præcepta.

& tunc potest dispensatio esse divinitus etiam contra prima præcepta legis naturæ ratione alicujus mysterii divini significandi, vel ostendendi; sicut patet (2) de dispensatione in præcepto Abrahæ facta de occisione filii innocentis. Tales autem dispensationes non fiunt communiter ad omnes, sed ad aliquas singulares personas, sicut etiam de miraculis accidit. Si ergo inseparabilitas matrimonii inter prima præcepta legis naturæ contineatur, solum hoc secundo modo sub dispensatione cadet; si autem sit inter secunda præcepta legis naturæ, etiam primo modo cadere potuit sub dispensatione. Videtur autem magis inter secunda præcepta legis naturæ contineri. Inseparabilitas enim matrimonii non ordinatur ad prolis bonum, quod est principalis matrimonii finis, nisi quantum ad hoc quod per parentes filiis provideri debet in totam vitam per debitam preparationem eorum quæ sunt necessaria in vita. Huiusmodi autem rerum appropriatio non est de prima intentione naturæ, secundum quam omnia sunt communia; & ideo non videtur contra primam intentionem naturæ dimissio uxoris esse, & per consequens nec contra prima præcepta, sed contra secunda legis naturæ: unde etiam primo modo sub dispensatione posse cadere videtur.

Ad primum ergo dicendum, quod in bono prolis, secundum quod est de prima intentione naturæ, intelligitur procreatio, & nutritio, & instructio quousque proles ad perfectam ætatem ducatur. Sed quod ei provideatur in posterum per hæreditatis, & aliorum bonorum dimissionem, videtur pertinere ad secundam legis naturæ intentionem.

Ad secundum dicendum, quod habere concubinam est contra bonum prolis quantum ad id quod natura in eo de prima intentione intendit, scilicet educationem, & instructionem, quæ requirit diuturnam commansionem parentum; quod non est in concubina, quæ ad tempus assumitur; & ideo non est simile. Tamen quantum ad secundam dispensationem etiam habere concubinam sub dispensatione cadere potest, ut patet Osee i.

Ad tertium dicendum, quod inseparabilitas quamvis sit de secunda intentione matrimonii prout est in officio naturæ, tamen est de prima intentione ipsius prout est sacramentum Ecclesie: & ideo ex quo institutum est ut sit Ecclesie sacramentum, manenti tali institutione, non potest sub dispensatione cadere, nisi forte secundo modo dispensationis.

S O L U T I O II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod circa hoc est duplex opinio.

Quidam enim dicunt, quod illi qui sub lege uxorem, dato libello repudii, dimittebant, non excusabantur à peccato, quamvis excusarentur à pena secundum leges infligenda: & propter hoc dicitur Moyses libellum repudii permisisse: & sic ponunt quatuor modos permissionis. Unus per privationem præceptionis, ut quando majus bonum non præcipitur, minus bonum permitti dicitur, sicut Apostolus non præcipiendo virginitatem, matrimonium permisit I. Corinth. vii. Secundus per privationem prohibitionis, sicut venialia dicuntur permessa, quia non sunt prohibita. Tertius per privationem prohibitionis; & sic communia peccata dicuntur permitti à Deo, in quantum non impedit, cum impedire posset. Quarta per privationem punitionis; & sic libellus repudii lege per-

O 2

mis-

missus fuit, non quidem propter aliquod majus bonum consequendum, sicut fuit dispensatio de pluribus uxoris habendis, sed propter majus malum prohibendum, scilicet uxoricidium, ad quod Judaei promerantur propter corruptionem frascibilis; sicut & permissum eis fuit extraneis foenerari propter aliquam corruptionem in concupiscibili; ne scilicet fratribus suis foenerarentur; & sicut propter corruptionem suspicionis in rationali fuit permissum sacrificium zelotipiae, ne sola suspicio apud eos iudicium corrumperet.

Sed quia lex vetus, quamvis gratiam non conferret, tamen ad hoc data erat ut peccatum ostenderet, ut communiter Sancti dicunt; ideo aliis videtur quod si (3) repudiando uxorem peccassent, hoc saltem eis per legem, aut Prophetas indicari debuisset. Isai. LVII. *Annuntia populo meo peccata eorum.* Alias viderentur esse nimis neglecti, si ea quae necessaria sunt ad salutem, quae non cognoscebant, nunquam eis nuntiata fuissent: quod non potest dici, cum iustitia legis tempore suo observata vitam mereretur aeternam. Et propter hoc dicunt, quod quamvis repudiare uxorem per se sit malum, tamen ex permissione divina licitum fiebat: & hoc confirmant auctoritate Chrysostomi, Auctoris oper. imperf. hom. xxxi. in Matth. qui dicit, quod a peccato abstulit culpam legislator; quando permisit repudium. Et quamvis hoc probabiliter dicatur, tamen primum communis susinetur: ideo ad utrasque rationes respondendum est.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquis qui potest prohibere, non peccat, si a prohibitione abstinere non sperans correctionem, sed magis malum aestimans ex tali prohibitionem occasionem sumere: & sic accedit Moysi: unde divina auctoritate fretus libellum repudii non prohibuit.

Ad secundum dicendum, quod Propheta Spiritu Sancto inspirati non dicebant dimittebam esse uxorem, quasi Spiritus Sancti praeceptum sit, sed quasi permissum, ne mala peiora fierent.

Ad tertium dicendum, quod illa permissionis similitudo non est intelligenda quantum ad causam eandem: quia utraque permissio ad vitandam turpitudinem facta est.

Ad quartum dicendum, quod quamvis dicitur cordis non excusaret a peccato, tamen permissio ex dicitur facta excusat: quaedam enim prohibentur sanis quae non prohibentur infirmis corporaliter; nec tamen infirmi peccant permissione sibi facta utentes.

Ad quintum dicendum, quod aliquod bonum potest intermittere dupliciter. Uno modo propter aliquod majus bonum consequendum; & tunc intermissio illius boni ex ordine ad majus bonum accipit honestatem; sicut intermittebatur singularitas uxoris honeste a Jacob propter bonum prolis. Alio modo bonum aliquod intermittere ad vitandum majus malum; & tunc si auctoritate eius qui dispensare potest, hoc fiat, reatum talis boni intermissio non habet; sed honestatem etiam non acquirit: & sic indivisibilitas matrimonii in lege Moysi intermittebatur propter majus malum vitandum, scilicet uxoricidium: & ideo Chrysostomus dicit, ut sup. quod a peccato abstulit culpam. Quamvis enim inordinatio maneret in repudio, ex quo peccatum dicitur, tamen reatum poenae non habebat neque temporalis, neque perpetuae, in-

(3) Al. replicando. (4) In supple. III. P. quast. LVII. art. 11. velut ex hom. XII. operis imperfecti notatur. (5) Nicolai: quod quaedam Glossa interlinealis, ad illa verba Deuter. XXIV. *Polluta est, & abominabilis*, dicit: *Illius &c.* (6) Al. Sed.

quantum divina dispensatione fiebat, & sic erat ab eo culpa ablata: & ideo etiam ipse ibidem dicit, quod permissum est repudium, non malum quidem, tamen illicitum; quod quidem illi qui sunt de prima opinione referunt ad hoc tantum quod habebat reatum temporalis poenae.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendam, quod secundum primam opinionem uxor peccabat post repudium alteri viro conjuncta: quia adhuc matrimonium primum non erat solum. Mulier enim quanto tempore vivit, alligata est lege viri, ut patet Rom. VII. Non autem poterat simul plures viros habere. Sed secundum aliam opinionem, sicut licebat ex dispensatione divina viro uxorem repudiare, ita uxori alium virum ducere: quia inseparabilitas matrimonii ex causa divina dispensationis tollebat; quia inseparabilitate manente intelligitur verbum Apostoli.

Utergo ad utrasque rationes respondeamus, dicendum ad primum, quod viro licebat plures uxores simul habere secundum dispensationem divinam: & ideo una dimissa, etiam matrimonio non soluto, poterat aliam ducere. Sed nunquam uxori licuit habere plures viros: & ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod in illo verbo Augustini *mos* non ponitur pro consuetudine, sed pro actu honesto, secundum quod a more aliquis dicitur morigeratus, quia est bonorum morum, vel sicut a more Philosophia moralis nominatur.

Ad tertium dicendum, quod Dominus Matth. v. ostendit novam legem abundare per consilia ad veterem non solum quantum ad ea quae lex veteris licita faciebat, sed etiam quantum ad ea quae in veteri lege illicita erant, sed a multis licita putabantur per non rectam praeceptorum expositionem, sicut patet de odio inimici: & ita est etiam de repudio.

Ad quartum dicendum, quod verbum Domini intelligitur quantum ad tempus legis novae, in quo dicta permissio est sublata: & sic etiam intelligitur verbum quoddam Chrysostomi, qui dicit (4) hom. XVII. in Matth. quod qui secundum legem dimittebat uxorem, quatuor facit iniquitates: quia quoad Deum existit homicida, in quantum habet propositum occidendi uxorem, nisi eam dimittere; & quia dimittebat non fornicantem, in quo solo casu lex Evangelii uxorem dimittere permittit; & similiter quia facit eam adulteram, & illum cui copulatur.

Ad quintum dicendum, (5) quod quidam interlinealis dicit Deuter. XXIV. *Polluta est & abominabilis*; (6) scilicet illius iudicio qui quasi pollutam eam prius dimisit: & sic non oportet quod sit pollutata simpliciter. Vel dicitur pollutata illo modo quo immundus dicebatur qui mortuum tangebatur, vel leprosum; non immunditia culpae, sed cuiusdam irregularitatis legalis: unde & sacerdoti non licebat viduam, & repudiatam ducere in uxorem.

SOLUTIO IV.

Ad quartam questionem dicendum, quod in lege de libello repudii duo erant permissa, scilicet dimittere uxorem, & uxorem dimissam alteri jungi; & duo praecepta scilicet scriptura libelli repudii, & quod iterum

rum maritus repudiatis eam accipere non possit: quod quidem secundum eos qui primam opinionem tenent, factum fuit in poenam mulieris quae alteri nupsit, & in hoc peccato polluta est; sed secundum alios, ut vir non de facili uxorem repudiaret, quam postea nullo modo recuperare posset.

Ad primum ergo dicendum, quod ad illius mali impedimentum quod committebat aliquis repudiando uxorem, ordinabatur quod vir uxorem repudiatam assumere non posset iterato, ut patet ex dictis: & ideo divinitus ordinatum fuit.

Ad secundum dicendum, quod semper licuit indulgere peccanti quantum ad rancorem cordis, sed non quantum ad poenam divinitus taxatam.

Ad tertium dicendum, quod in hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod licuit uxorem repudiatam viro reconciliari, nisi matrimonio alteri viro juncta esset: tunc enim propter adulterium, cui mulier voluntarie se subdit, in poenam ei datur quod ad priorem virum non rediret. Sed quia lex universaliter prohibet, ideo dicunt alii, quod etiam antequam alteri nubere, non poterat revocari, ex quo repudiata erat: quia pollutio non intelligitur quantum ad culpam, sed ut dictum est.

ARTICULUS III.

Utrum causa repudii fuerit odium uxoris.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod causa repudii fuerit odium uxoris, secundum hoc quod dicitur Malach. II. 16. (1) *Si odio habueris eam, dimitte illam.*

2. Praeterea. Deuter. XXIV. 1. dicitur: *Cum non invenerit gratiam in oculis eius propter aliquam foeditatem, scribe libellum repudii.* Ergo idem quod prius.

3. Sed contra. Sterilitas, & fornicatio magis contrariantur matrimonio quam odium. Ergo illa potius debuerunt esse causa repudii quam odium.

4. Praeterea. Odium potest creari ex virtute ejus qui odio habetur. Si ergo odium est sufficiens causa, tunc mulier posset repudiari propter virtutem suam; quod est absurdum.

5. Praeterea. Deuter. XXIV. dicitur: Si (2) duxerit vir uxorem suam, & postea odio eam habuerit, & objecerit ei stuprum, aut conjugium, si in probatione defecerit, verberabitur, & centum siclis argenti condemnabitur, & non poterit eam dimittere omni tempore vitae suae. Ergo odium non est causa sufficiens repudii.

QUAESTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod repudii causae debebant in libello scribi. Quia per libellum repudii scriptum a poena legis absolvebatur. Sed hoc omnino videtur injustum, nisi causis sufficientibus repudii assignatis. Ergo oportebat illas scribere in libello.

2. Praeterea. Ad nihil illa scripta valere videbantur, nisi ut causae repudii ostenderentur. Ergo si non inscriberentur, frustra libellus ille sibi tradebatur.

3. Praeterea. Hoc Magister dicit in littera. Sed contra. Causae repudii aut erant sufficientes, aut non. Si sufficientes, pracludebatur mulieri via ad secundas nuptias, quae ei secundum legem con-

cedebantur. Si autem insufficientes, ostendebatur injustum repudium; & sic repudium fieri non poterat. Ergo nullo modo causae repudii inscriberantur.

SOLUTIO II.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod causa permissionis repudiandi uxorem fuit vitatio uxoricidii, ut Sancti communiter dicunt. Proxima autem causa homicidii est odium, & ideo proxima causa repudii est odium. Sed odium ex aliqua causa causatur, sicut & amor: & ideo etiam oportet alias causas repudii ponere remotas, quae erant causa odii. Dicit autem Augustinus (a) in Glossa Deuter. XXIV. *Multae erant in lege causae dimitteendi uxores: Christus solum fornicationem excipit; ceteras molestias jubet proferre, & castitatem conjugii sustineri.* Haec autem causae intelliguntur foeditates in corpore, puta infirmitas, vel aliqua notabilis macula; vel in anima, sicut fornicatio, vel aliquid hujusmodi, quod in moribus inhonestatem facit. Sed quidam has causas magis coarctant, satis probabiliter dicentes, quod non licebat uxorem repudiare, nisi propter aliquam causam post matrimonium supervenientem; nec propter quamlibet talem, sed propter illas solum quae possunt bonum prolis impedire, vel in corpore, ut sterilitas, aut lepra, vel aliquid hujusmodi; vel in anima, ut si esset malorum morum, quos filii ex conversatione ad ipsam imitarentur. Sed quaedam Glossa (b) super illud Deuter. XXIV. *Cum non invenerit gratiam &c.* videtur magis arctare, scilicet ad peccatum, cum dicit ibi per foeditatem peccatum intelligi. Sed peccatum Glossa nominat non solum in moribus animae, sed etiam in natura corporis.

Sic ergo prima duo concedimus. Ad tertium dicendum, quod sterilitas, & alia hujusmodi sunt causa odii; & sic sunt causae remotae. Ad quartum dicendum, quod propter virtutem non est aliquis odibilis per se loquendo: quia bonitas causa est amoris: & ideo ratio non sequitur. Ad quintum dicendum, quod hoc dabatur in poenam viri, quod non posset in perpetuum repudiare uxorem in casu illo, sicut etiam in alio casu, quando puellam defloraverat.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod causae repudii in speciali non scribebantur in libello, sed in generali, ut ostenderetur justum repudium. Sed secundum Josephum, Lib. IV. antiquit. cap. VIII. ut mulier habens libellum conscriptum de repudio alteri posset nubere: alias enim ei traditum non fuisset: unde secundum eum erat scriptura talis: *Promitte tibi quod nunquam tecum conveniam.* Sed secundum Augustinum, Lib. XIX. contra Faustum cap. XXVI. ideo libellus scribebatur, ut mora interveniente, & consilio scribarum dissuadente, vir a proposito repudiandi desisteret.

Et per hoc patet solutio ad objecta.

QUAESTIO III.

Deinde quaeritur de virginitate: & circa hoc quaeruntur tria.

(1) Vulgata: *Cum odio habueris, dimitte.* (2) Al. dimiserit. Ex Edit. P. Nicolai. (a) Quod ex Augustino subjungitur, ex Lib. I. de serm. Domini in monte cap. XIV. desumptum est, etsi verbis paululum immutatis. (b) Partim interlinealis, partim collateralis ex Rabano.